

Alia ergo loca quæ ex Scoto citantur, vel non allegantur fideliter, fortasse ob errorem scriptoris aut typographi, vel in eis de re alia sermo est, et solum per illationem quamdam inducuntur, quæ a defensoribus Scoti neganda est, ne illum sibi contrarium, vel in doctrina sua non consequenter loqui fateantur. Igitur in 1, distinct. 1, quæst. 1, nihil habet Scotus quod ad hanc materiam pertineat; forte citare voluerunt in 1, distinct. 2, quæst. 2, § *Ostenso esse*, nam ibi docet contingentiam omnium effectuum reducendam esse ad libertatem divinæ voluntatis; nam si Deus necessario vellet quidquid extra se vult, omnia necessario evenirent a causis secundis et ab humana voluntate. Et eandem doctrinam habet in eodem 1, distinct. 8, quæst. 5, § *Istis rationibus*, versiculo *Arguo sic*, et distinct. 39, quæst. 4, § *Tertia positio*. Et potissimum ejus fundamentum est, quia causa secunda non movet nisi mota a prima; unde si necessario moveretur a prima, necessario ipsa moveret, vel se, vel alia, pro ratione effectus; item, quia causa prima, prius naturaliter respiciens effectum, daret illi esse necessario, ac proinde non posset esse contingens per habitudinem ad causam secundam. In his ergo locis videtur plene sentire Scotus, ante influxum voluntatis creatæ in suam actionem, præcedere motionem Dei circa ipsammet voluntatem, qua posita inevitabiliter sequitur actio ejusdem voluntatis, et hunc putat esse essentialem ordinem inter causam primam et secundam, alias non recte concluderetur; ergo ponit prædeterminationem ex parte Dei, et cum ea salvat contingentiam propter libertatem Dei. Atque in hunc modum intellexisse eum videntur aliqui ex ejus sectatoribus, et Cajetanus, et alii moderni qui illum impugnant, 1 part., quæst. 14, art. 13, et quæst. 19, artic. 7. Et revera in illis locis videtur ita supponere, ut opinionem suam fundare possit.

Est autem illa sententia, in illo sensu intellecta et fundata, per se valde improbabilis. Nam supponit Deum eandem motionem ponere nunc in voluntate creata, ut illam ad volendum moveat, quam poneret si necessario ipse Deus ageret; solumque ex hypothesi differentiam in hoc poni, quod nunc Deus libere imprimat talem motionem, tunc autem necessario. Deinde fatetur, posita motione Dei in voluntate, in utroque casu per consecutionem æque necessariam sequi, ut voluntas creata et a Deo mota velit; ac denique

solum in hoc differentiam ponit, quod nunc effectus est contingens, quia causa prima contingentem movet, tunc autem esset simpliciter necessarius, quia causa prima necessario ageret. Ex quo discursu evidenter sequitur nullum effectum voluntatis creatæ esse nunc contingentem aut liberum, nisi per respectum ad voluntatem et libertatem Dei. Hoc autem absurdum est, et libertatem humanam destruit, et incredibile videtur Scotum aut consecutionem non vidisse, aut absurditatem illam devorasse, maxime cum in eodem 2, distinct. 37, quæst. 1, oppositam sententiam doceat, ut vidimus.

Quapropter non sine fundamento locuti sunt, qui dixerunt Scotum, facta illa hypothesi, non supponere eandem futuram esse motionem voluntatis quam Deus efficeret in voluntate, si ipse ageret ex necessitate naturæ, cum ea quam nunc libere præstat, sed potius infert ex illa hypothesi multo majorem motionem fuisse tunc futuram ex parte Dei, seu alterius rationis, ita ut tunc necessitatem inferret quam nunc non infert. Hanc vero differentiam colligit ex eo quod prima causa est prior in movendo et in causando. Quod intelligendum est simpliciter et absolute, seu ex ordine suo, non vero quod etiam nunc ita sit in his quæ prima causa nunc efficit, concurrente cum causa secunda, et quatenus concurrat cum illa, ne sibi ipsi contrarius sit. Dices: quomodo ergo assumit illa principia: Causa secunda non movet nisi mota a prima, et causa prima prius producit effectum, quam secunda? vel quomodo ex his principiis infert motionem, vel concursum primæ causæ futurum fuisse, in illo casu, alterius rationis quam nunc sit? Respondeo supponere Scotum, Deum posse necessitare voluntatem creatam, si velit, ut supra in primo testimonio vidimus. Ex quo solo principio videtur recte inferri quod si Deus ageret ex necessitate naturæ, consequenter imposeret necessitatem voluntati creatæ in omnibus actionibus suis; quia ageret in illam et cum illa quantum posset; sed nunc potest necessitare; ergo et tunc: patet, quia eandem omnipotentiam habiturus supponitur; ergo de facto necessitaret, quia ageret quantum posset. Ad hanc ergo illationem reducendæ videntur rationes Scoti, ut vim aliquam habeant. Unde cum assumit causam secundam non movere, nisi motam, generatim intelligendum de influxu primæ causæ, sive sit in causam ipsam, sive in effectum vel actionem ejus; et sive sit ad

dandam vim agendi, sive actionem ipsam, sive applicationem ad illam. Motio itaque primæ causæ necessaria est, tum dans virtutem, tum etiam dans actionem; unde si sub utraque ratione motio illa ex necessitate ponatur, etiam actionem ipsam poni necesse est. Sic ergo (inquit Scotus), Deo agente ex necessitate naturæ, omnis motio quæ ex parte illius poni potest, de facto daretur necessario, et ita induceret non solum vim agendi, sed etiam actionem ex necessitate: nunc autem Deo agente libere, non omnis motio illi possibilis ex necessitate actu ponitur, quia ipse pro sua libertate illam moderatur; et ideo licet actu conferat motionem, seu influxum quod dat virtutem agendi, non tamen ita actualiter confert motionem seu concursum ad actionem, sed tantum illum offert, et quasi constituit in potestate voluntatis creatæ, si illo uti voluerit, sicut in altero loco Scotus dixerat. Ita ergo recte infertur aliter moturum fuisse Deum voluntatem creatam, si ex necessitate naturæ ageret, quam nunc libere moveat. Aliud vero principium ex prioritate naturæ in actione primi agentis, intelligendum primo est, vel de prioritate independentiæ, vel, quod in idem redit, de prioritate etiam in causalitate quantum est ex efficacia ipsius, nisi velit ipsemet illam moderari. Nam quia causalitas Dei est prior prioritate independentiæ, a nulla inferiori causa impediri potest quin agat quantum potest, si velit; si autem ageret ex necessitate naturæ, etiam ex necessitate vellet movere voluntatem hominis, quantum posset; ergo prius natura quam ipsa voluntas creata aliquid agere posset, haberet jam in se actualem motionem Dei, quam evitare non posset. Item quia causalitas Dei ex se, ut prior, ex necessitate naturæ totam causalitatem suam circa voluntatem necessario exerceret, ac proinde præveniret illam, determinando illam quantum posset, eam proinde necessitando.

Atque ad hunc fere modum explicuerunt illud axioma, quod si prima causa necessario ageret, humanæ voluntati necessitatem inferret, Gabriel. in 1, d. 38, art. 1, in prima parte illius, proxime ante 1 conclus., et Coriduba, lib. 1 suarum quæst., quæst. 35, dub. 4, quamvis ipsi addant posse causam primam ex se sola efficere quidquid potest per causam secundam, etiam vitalem actum voluntatis. Unde inferunt quod si necessario ageret, se sola efficeret talem actum in voluntate, et sic necessitaret illam. Sed hoc magis controver-

sum est, pertinetque ad particularem modum explicandi quomodo possit Deus necessitatem voluntati inferre; nunc autem nobis sufficit generalius principium, quod certius est, posse Deum necessitare voluntatem. etiam ad eliciendum proprium actum, nam in dicto principio conveniunt hi Doctores nobiscum in hoc, quod si Deus ageret ex necessitate naturæ, moveret voluntatem creatam quanta posset necessitate. Et in hoc principio putant fundari doctrinam Scoti, præsertim Corduba. Nec vero nunc disputo aut affirmo an illud axioma hypotheticum, in hoc sensu explicatum, verum sit necne, nec mordicus contendo illum fuisse sensum ab Scoto intentum, nam obscure et lubricè loquitur; solum assero posse sic explicari, et debere, nisi velimus in ejus doctrina contradictum admittere; et ne cogamur fateri illum in Deo solo posuisse usum libertatis, et non in nobis. Unde ex eisdem locis intellectis in eo sensu, in quo ab adversariis allegantur, potest contra ipsos retorqueri argumentum. Nam si Deus, necessario agendo, poneret in voluntate hominis determinationem ad unum actum seu motionem physice prædeterminantem, aut ipsummet actum voluntatis, prius natura quam ipsa voluntas in illum influeret, per solam ipsius Dei activitatem, tunc, juxta doctrinam Scoti, inferret Deus necessitatem voluntati, et impediret liberum usum ejus; ergo si Deus nunc libere agendo imprimat voluntati similem determinationem vel motionem, aut actum ipsum pro sola sua voluntate, plane inferret eandem necessitatem; quia quod illa motio a Deo oriatur libere vel necessario, nihil refert ad effectum qui ex illa sequitur ex vi et natura ejus, ut e contrario calor non minus necessario agit productus a Deo libere, ac si productus esset necessario. Si ergo nunc causa prima eandem præmotionem infert libera sua voluntate, quam inferret de necessitate operans, eandem necessitatem nunc infert, licet nunc libere, quod, ut dicebam, pertinet ad libertatem Dei, non ad nostram. Si ergo in illo sensu Scotus locutus est, repugnantia docuit, et libertatem nostram incaute destruxit, salvavitque contingentiam in his effectibus, ut a Deo sunt, non ut humani sunt.

Aliud principium invenitur in doctrina Scoti, quod non videtur posse subsistere, nisi Deus, voluntate sua absoluta et antecedente, prædeterminet efficaciter voluntatem creatam ad singulos actus. Docet enim Scotus in 1, d. 39, § *Viso de contingentia*, Deum non præ-

scire aliquid contingens esse futurum, donec per suam voluntatem absolutam determinet ut fiat, quia ante hujusmodi decretum divinæ voluntatis res illa non habet determinatam veritatem; posito autem tali decreto, jam illa veritas est determinata et infallibilis, quia divina voluntas (inquit) immutabilis est, et impediri non potest; et tamen cum istis (ait in fine illius §) stat contingentia subjecti cogniti; quia voluntas volens hoc determinate, contingenter vult hoc, ut dixerat in 1 artic. ejusdem quæstionis. Unde quoad hanc partem referre possunt pro eadem sententia Richard. in 1, dist. 38, art. 1, quæst. 5, quatenus cum Scoto convenit in dicto principio, quod Deus cognoscit futura contingentia in determinatione suæ voluntatis.

Sed profecto, si considerentur ea quæ postea docuit Scotus in 2, distinct. 37, et supra retulimus, de modo quo Deus vult concurrere cum voluntate humana ad rectum vel non rectum, ponendo actuale influxum seu determinationem ejusdem humanæ voluntatis in potestate ipsius, hæc (inquam) doctrina non potest cum alia subsistere; nam si voluntas divina ex se absolute decernit, ut talis actus voluntatis humanæ, vel rectus vel non rectus, sit in rerum natura, pro tali tempore et instanti, necesse est ut determinet omnes causas per quas futurus est ille effectus, et a quibus per se pendet, inter quas causas est voluntas humana; si autem illam sic determinat, jam non relinquit in potestate illius concausare vel non concausare, ut in alio loco dixerat; sed ita manet determinata ad concausandum, ut non possit illud impedire. Ergo vel Scotus retraxit illud prius fundamentum, vel non consequenter locutus est. Et ita licet in illo loco multum faveat prædeterminationi physicæ ex causa extrinseca, nihilominus posterior ejus doctrina præferenda est, maxime quia in illo priori loco non salvat contingentiam in ordine ad voluntatem humanam, sed tantum in ordine ad divinam; quod non satis est, ut supra dixi, quia inde solum habetur Deum libere agere, non vero declaratur quomodo voluntas humana, præsumpta efficaciter a causa non impedibili, libere nihilominus influat in suum actum.

Propter quod aliqui ex modernis, defensores illam Scoti sententiam circa præscientiam futurorum contingentium, contendunt nihilominus illud decretum voluntatis Dei, in quo idem Deus cognoscit tale futurum, non esse antecedens respectu voluntatis humanæ,

sed esse tantum concomitans, et ideo non esse decretum physicæ prædeterminans voluntatem nostram, sed esse decretum concomitante se habens cum determinatione nostra. At hoc difficile intellectu est; nam vel est sermo de antecessione et concomitantia secundum durationem, vel secundum causalitatem: priori modo negari non potest quin decretum Dei, si est, sit antecedens ad influxum humanæ voluntatis, quia decretum est æternum, et concursus noster temporalis. Si autem sit sermo secundum causalitatem, optime quidem dicitur decretum illud non esse prædeterminans, si non sit antecedens causaliter; sed tunc explicari non potest quomodo illud decretum vel sit absolutum de futuritione talis actus, vel sit ratio sufficiens cognoscendi illam. Quia ille effectus non est ponendus in re, nisi simul in illam influant voluntas divina et humana; ergo non potest Deus scire infallibiliter hunc effectum esse futurum, nisi sciat futuram esse infallibiliter concomitantiam liberi influxus voluntatis humanæ et sui decreti. Si ergo infallibilitas hujus concomitantiam non sequitur causaliter ex ipso decreto, unde sciri potest futurum esse infallibilem in ipsomet decreto? Nam hoc ipsum futurum præcise consideratum, scilicet, voluntas humana influet in talem actum, est contingens; ergo vel determinatur ad esse per divinum decretum, vel non; si non determinatur, ergo manet indifferens, stante decreto; ergo non potest magis cognosci quam antea; si autem determinatur per decretum, causaliter antecedens est, non est causaliter concomitans, quia illa determinatio fieri non potest sine aliqua causalitate. Quæ rationes apud me convincunt decretum illud æternum, virtute ejus Deus concurrat in tempore ad actum liberum voluntatis humanæ, non posse esse sufficientem rationem præsciendi ex æternitate talem actum voluntatis humanæ esse futurum in tempore, nisi supposita conditionata præscientia, qua Deus ante habitum suum decretum cognoscat quid volitura sit humana voluntas, si ipse ex parte sua offerat concursum suum; tunc enim decretum dandi concursum, quantum in ipso est, faciet ut conditionalis illa scientia transeat in absolutam, et tunc tale decretum recte vocatur concomitans respectu concausæ, quia ut sic non habet causalitatem, et infallibilitas in tali concomitantia non fundatur in causalitate, sed in scientia conditionali, quæ præcedit. Cum vero illa scientia conditionalis

non sit in decreto, cum nullum præcedat, ut supponimus, oportebit necessario admittere illam rationem et modum cognoscendi futura contingentia libera, quæ ejusdem rationis erit in futuris sub conditione vel absolutis. Ut ergo Scotus loqui potuerit de decreto concomitante, necesse est ut et supposuerit conditionatam præscientiam, et aliam rationem cognoscendi futura contingentia præter decretum Dei agnoverit, quorum primum haud scio posse ex doctrina Scoti haberi; secundum autem videtur contra intentionem ejus in citato loco. Est ergo in hoc loco satis dubia sententia Scoti, et ideo ejus etiam sectatores varii sunt. Nam quando de scientia futurorum tractant, in hanc sententiam inclinant; quando vero tractant de modo quo divina voluntas concurrat cum secunda, præsertim ad actum peccati, sententiam nostram plane docent, et in hoc sunt multo plura et clariora eorum testimonia, ut retuli in dicto libro de Auxiliis, cap. 5, et lib. 2; et ideo necesse non est in eorum allegationibus amplius immorari.

Et ob eandem causam omitto plures alios antiquos et graves scholasticos, quos retuli lib. 1 de Auxiliis, cap. 14. Nam licet quidam modernus postea scripserit immerito illos auctores a me fuisse relatos, cum nihil affirmant quod nostræ sententiæ faveat, tamen de nullo in particulari ostendit aut falso esse allegatum, aut id, quod allegatur, ad causam præsentem non referre. Nam primum certo scio id præstare non potuisse, quia ex nullo alio quam ex fontibus allegationes sumptæ sunt, et aut propria eorum verba aut sententiæ fideliter sunt allata. Secundum item non video quo fundamento dici potuerit; nam principalis et fortasse unicus hujus controversiæ scopus est de modo quo conjunguntur influxus causæ primæ et secundæ causæ in eandem actionem. Et hæc difficultas tanquam ad primam radicem revocatur ad illam voluntatem, qua Deus offert causæ secundæ concursus suum. Sentiant autem omnes dicti auctores illam voluntatem talem esse, ut non prædeterminet voluntatem humanam; ergo etiamsi amplius non docerent (quod non admitto), illud satis esset ad nostram intentionem in eis fundandam, quia nulla alia voluntas Dei est per se necessaria ad actionem causæ secundæ ex vi subordinationis ejus ad primam, supposita existentia et conservatione, et sufficienti virtute cum omnibus conditionibus prærequisitis in actu primo ad agen-

dum; quæ omnia sunt effectus voluntatis Dei, sed per illam voluntatem manifestum est non determinare Deum causam secundam liberam ad certam actionem. Quapropter si per voluntatem concurrenti etiam non determinet, nullum probabile fundamentum relinquitur ad ponendam illam determinationem. Auctores ergo qui, tam concursus Dei, quam voluntatem concurrenti, explicat sine determinatione, imo putant hoc necessarium, tum ad salvandam libertatem hominis, tum ad salvandum concursus Dei ad peccatum, sine macula quæ in Deum redundet, merito allegari possunt tanquam simpliciter negantes hujusmodi determinationem.

Omissis ergo aliis antiquis scholasticis, venio ad Thomistas, qui scripserunt priusquam hæc controversia inter modernos ageretur. Et imprimis potius auctor refert Capreolum, quod dicat Deum præmovere et prædeterminare voluntatem ad bonum, salva libertate voluntatis. Duo vero tantum designat ejus loca: unus est in 2, distinct. 22, ubi Capreolus unam tantum habet quæstionem, an possit fieri creatura intellectualis, impeccabilis per naturam, et ea occasione, solvendo argumenta, tractat an possit lumen gloriæ aut visio beata esse naturalis alicui creaturæ; de præsentem vero quæstione nec verbum quidem habet. Alius locus est in 1, distinct. 48, quæst. 2, alias quæst. 1, artic. 2, ad secundum, contra secundam partem secundæ conclusionis. Ut autem clarius constet quam fideliter referatur, et cui sententiæ plus faveat, supponendum est conclusionem secundam, quam posuerat, fuisse hanc: *Licet Dei voluntas consequens impleatur, non tamen rebus volitis generaliter necessitatem imponit.* Contra hanc ergo secundam partem proponit multa argumenta quæ ad nostram disputationem maxime pertinent, et in quorum solutione poterat ipse suam mentem facile explicare. Est autem hujusmodi argumentum: *Deus potest necessitare voluntatem creatam necessitate naturaliter præcedente. Sed hoc non posset aliquod aliud faciendo, quam tantum volendo, quoniam nullo alio modo agit ad extrema, neque aliter volendo, quam prius naturaliter et sic vult; ergo Deus necessitat de facto quamlibet voluntatem creatam ad quemlibet actum suum liberum, et ad quemlibet cessationem et vocationem ab actu necessitate naturaliter præcedente.* Respondet autem hunc in modum: *Licet Deus possit voluntatem creatam quamlibet necessitare, non tamen sic necessi-*